

mitterentur: quibus retentis, non dubium esset, quin hostes paulo post vellent nollent urbe excedere conseruentur: permitterent ad hæc miseros cives iniquæ conditioni temporis cedere, incolumemque civitatem meliori fortunæ servare. Bartholomæus Peregrinus, vir magnæ inter suos auctoritatis, sed egregiæ quoque in Venetos fidei, eos ex publico cedentes ad pontem, qui lapideus dicitur, comitatus est, ne quid illis incommodi accideret, quo minus in tutum abirent. Ubi vero illuxit, hostium acies sine ullo certamine per Rafiolanam portam in urbem erupit. Pasius ante lucem eruptionem factam affirmat. Occupaverat civium animos ingens pavor, quippe quibus ignotum erat, qualis futurus esset civitatis status; res in discrimine erat, vellet ne victor hostis eam servare, an publicas & privatas fortunas militi diripiendas subjicere. Erat in prima acie Alovius Vermius, qui post Carmaniola socii damnationem, quum diversarum partium haberetur, voluntarium sibi conciverat exilium. Is Philippi opes fecutus, ob strenuitatem animi & generis nobilitatem hostis clarissimus erat. Ubi igitur ad ipsius ædes processum est, in quibus preciosissimam Mellitæ suppellestilem esse audiverat, ira percitus continuo suos ad Mellitanas opes diripiendas invitat. Eo exemplo alii qui proximi steterant, cupiditate prædæ accensi ad privatas domos occupandas discurrunt. Alii a Francisco Picinino Nicolai filio, qui ad Rafiolanæ portæ præsidium relictus erat, id factum tradunt. Sed siue hic siue ille auctor fuerit, inter omnes constat, cladem omnino ingentem eo die accipiendam fuisse, nisi Magius, homo juris scientiæ ea tempestate peritissimus, ac inter suos populares multi nominis, ad Mantuanum Principem accurrisset, orassetque ne urbem nihil tale de eo meritam, quæ in id discriminem nulla civium culpa incidisset, ac semel occupata sine aliquo majore certamine cessisset, tanta clade deformaret: fatis superque ei videri debere, sine cæde, sine labore ullo, præclaram urbem subjicere contigisse. Movit illum non magis utilis quam verus sermo: confessimque, ut mi-

Verona a
Picinino
occupatur
prætor ar-
cus.

Magii pru-
dentia urbs
a direptione
servatur.